

irregularitas sit imposita, vel non sit imposita in jure, tunc non est expressa in jure ac per consequens non inducitur, nec est admittenda.

XX. Dico secundo: Quando dubium est de ipso facto, non autem de jure, qui sic dubius est, an fecerit, vel non fecerit tale factum censendus est irregularis. Ista conclusio etiam est communis sententia tam theologorum, quam jurisperitorum. Et probatur manifeste ex libro quinto decretorum, titulo LII, capite XII Ad audientiam, et ex capite Significasti, XII de homicidio, ubi decernitur quod qui dubius est, an homicidium perpetraverit, vel non perpetraverit, censendus est irregularis. Qualiter autem hoc sit intelligendum dicemus conclusione quarta. Sed inquire, quale dubium sit sufficiens, ut juxta primum dictum non inducatur irregularitas, circa secundum vero dictum inducatur. Ad hoc

XXI. Dico tertio juxta primum dictum: Quotiescumque dubium juris fundatum est in opinione probabiliter tenente, quod irregularitas illa non est imposita expresse a jure etiamsi contraria opinio tenens, quod imposita sit a jure, et expresse in jure contineatur, sit probabilior, nihilominus talis irregularitas non est admittenda. Probatur, nam cum illud dubium versetur inter doctores non debet censi esse in jure expressum id de quo est probabile, et rationabile dubium inter ipsos doctores asserentes non esse expressum in jure, quoniam ut expressum sit in jure debet esse ita manifestum, ut rationabile, et probabile dubium auferat. Ergo quotiescumque est probabile inter doctores, quod aliqua irregularitas non est expressa in jure, talis neque censenda est expressa in jure, neque admittenda. Quando tamen est opinio probabilis

inter doctores asserentes talem irregularitatem non esse expressam in jure, tunc habenda est tamquam expressa, et admittenda, quia opinio oppositum asserens non est probabilis, ac subinde non fuit dubium juris.

XXII. Dico quarto: Circa secundum dictum, satis probabile est, quod quotiescumque dubium facti tale fuerit, quod secundum prudentiam rationabilem dubitatur de facto illo, etiam si dubitans inclinet magis in negativam partem, videlicet non perpetrasset factum illud, propter quod imposita est in jure irregularitas, tunc qui sic dubius est, an opus illud fecerit, vel non fecerit, censendus est irregularis. Oppositum hujus etiam est probabile ad istum sensum, videlicet quod in tali dubio solum est admittenda irregularitas in illis duobus casibus positus in secunda conclusione, videlicet in capite Ad audientiam, et in capite Significasti. Fundamentum potissimum cui innititur prima pars hujus conclusionis est, quia summus pontifex in illis duobus capitibus modo relatis non condidit novum jus, sed determinavit universaliter, quod in dubio facti ratione cujus facti in jure est imposita irregularitas, censendum est irregularis quicumque dubius est, an factum illud perpetraverit.

XXIII. Confirmatur, primo, ex ratione decidendi adducta ibi a pontifice, videlicet quod in dubiis tutior pars est eligenda. Tutius autem est in casu talis dubii, quod homo censeatur irregularis, et absteat a susceptione ordinum, sive ab administratione illorum. Quæ doctrina pontificis universaliter procedit, ac subinde in illis duobus capitibus non statuit speciale jus, sed universale. Fundamentum autem secundæ partis conclusionis est, quia ut docet Navarrus, quem refert, et sequi-

tur Suarez disp. XL, sect. VI, et alii auctores illud commune prologium, videlicet, in dubiis tutior pars est eligenda, solum obligat quando interveniat præceptum sequendi tutiorem partem, sed solum in illis duobus capitibus juris præcipit pontifex, ut sequatur tutior pars; ergo solum in illis duobus casibus censendus est irregularis homo, qui dubius est, an fecerit illud opus propter quod in jure imposita est irregularitas. Confirmatur secundo, quia absque dubio pontifex statuit ibi novum jus nusquam antea conditum, ac subinde illud jus est speciale, et ideo cum sit odiosum debet restringi, et non extendi universaliter ad consimiles casus. Confirmatur denique, quia in dubiis melior est conditio possidentis; sed in casu hujus dubii ille homo possidet suum jus ad suscipiendos ordines, vel ad ministrandum in ipsis, antequam per judicis sententiam sit privatus; ergo solum in illis duobus casibus, et si sunt alii casus, in quibus intervenit sententia irregularitatis imposita a pontifice, debet iste homo censi irregularis.

### DISPUTATIO XIII.

DE IRREGULARITATE, QUÆ INCURRITUR PROPTER HOMICIDIUM CULPABILITER VOLUNTARIUM.

#### ARTICULUS I.

*Utrum homicidium voluntarium illud sit, quod fit ex proposito, et directa intentione occidendi?*

I. Hæc difficultas potissime occurrit disputanda primo loco in præsentis quæstione, ut sciamus quale

sit homicidium hoc culpabiliter voluntarium propter quod incurritur irregularitas, et qualitas a casuali homicidio differat; nam constitutum homicidii hujus voluntarii erit distinctivum illius a casuali. Est autem maxime necessaria cognitio differentiæ, quæ versatur inter homicidium voluntarium, et casuale propter diversitatem quæ assignatur a jure in dispensatione facienda super irregularitatem homicidii voluntarii culpabilis, et super irregularitatem homicidii casualis. Et idcirco cum materia de irregularitate connectitur necessario præsens disputatio, in qua juxta supradicta de homicidio procedemus. Circa quam sunt plures auctorum sententiæ.

II. Prima sententia est domini Cajetani 2-2, q. LXIV, articulo VIII, ubi docet, quod homicidium voluntarium non includit in sua ratione, quod fiat ex proposito, et ex directa intentione occidendi, sed homicidium voluntarium quatenus a casuali distinguitur consistit in hoc, quod sit voluntarium, vel tamquam medium, vel tamquam finis, vel tamquam effectus subsecutus ad causam per se, et directe volitam, ita ut etiam si effectus non sequatur per se necessario ad causam per se, et directe volitam, sed solum sequatur regulariter, et ut in plurimum, tale homicidium sic volitum comprehenditur sub homicidio voluntario, quatenus a casuali distinguitur. Quam etiam sententiam tenet Covarruvias in elementina Si furiosus. Quorum fundamenta inferius adducentur.

III. Secunda sententia asserit, quod homicidium voluntarium, quatenus a casuali distinguitur, includit, quod sit factum ex proposito, et ex directa intentione occidendi, vel tamquam finis, vel tamquam medium ordinatum ad finem, vel sal-



tem tamquam effectus per se, et necessario secutus ad causam per se, et directe volitam, tunc enim effectus sic volitus per se dicitur ex proposito intentus; subditque hæc sententia (id in quo potissimum differt a sententia Cajetani) quod si homicidium sit volitum tamquam effectus, qui regulariter sequitur ad causam per se volitam, dummodo non sequatur per se, et necessario ad talem causam per se volitam, tale homicidium sic volitum comprehenditur sub homicidio casuali, non voluntario. Hanc sententia tenet Navarrus in manuali, capite xvii, et sequitur illam magister Bagnez hic, et Suarez tomo v, disp. xlii, sect. i. Quorum fundamenta infra etiam adducenda sunt.

IV. Tertia sententia est quorundam jurisperitorum, quos refert Suarez loco nunc allegato, asserentium, quod voluntarium homicidium quatenus a casuali distinguitur, est, quod fit ex consilio, et ex prædeterminatione, ita quod si quis ex rixa repente suborta, vel ob verba contumeliosa repente prolata contra se, occidat aliquem voluntarie, tale homicidium reputandum est casuale, et non voluntarium. Fundamentum hujus sententiæ potest esse testimonium illud Concilii infra allegandum, et capite. Primum de homicidio voluntario, etiam citandum, ubi explicatur homicidium voluntarium per hoc, quod fiat per industriam, et per insidias. Quæ verba in proprietate sermonis videntur importare quamdam prædeterminationem animi, ita ut in proprietate sermonis verificari non possint de homicidio voluntario etiam per se intento, quod fit subito, et repentine.

V. Pro hujus tamen difficultatis explicatione advertendum est primo posse illam in duplici sensu disputari. Primus sensus est, quod ho-

mici-dium sit voluntarium, quatenus a casuali distinguitur, et in quo potissimum ab eo differt secundum rigorem metaphysicum voluntarii, et casualis: secundus sensus est, quid sit homicidium voluntarium, et in quo a casuali differat secundum juris dispositionem. Secundo notandum, quod ut homicidium possit esse voluntarium, quatenus a casuali distinguitur, adhuc dupliciter potest esse volitum. Primo modo in se ipso, vel tamquam medium, vel tamquam finis, quia sic voluntas ad homicidium immediate, et in se ipso terminatur: secundo modo potest esse volitum in sua causa, qui quidem modus adhuc dupliciter contingere potest. Primo, ita ut si volitum in causa directe volita tamquam effectus necessarius, et per se consecutus ad illam causam: secundo modo ita sit volitum in sua causa directe volita tamquam effectus prævisus, qui regulariter, et ut in plurimum sequitur ad talem causam, non tamen per se, et necessario subsequitur.

VI. Tertio supponendum est, quod in hac difficultate non intendimus inquirere, et explicare rationem homicidii voluntarii absolute, et in communi, quatenus a casuali distinguitur, nam rationem homicidii voluntarii justii, et liciti explicabimus disputatione sequenti. Et hoc adverto propter doctrinam magistri Bagnez, quam tradit in explicanda hac difficultate. Intendit enim explicare rationem homicidii voluntarii absolute, et in communi, ut comprehendit licitum, et illicitum homicidium, quia de causa satis libere in hac parte loquitur, et non videtur satis consequenter procedere ad dicta a se ipso in articulo septimo, et ob hanc causam neutra sententia, videlicet nec Cajetani, nec Navarri sibi plane satisfacit, quia neutra explicat rationem homicidii

voluntarii ut sic, sed solum culpabilis. Et quidem nos hoc ipsum solum intendimus in hac difficultate. Verum est tamen, quod quantum attinet ad homicidium voluntarium culpabile magister Bagnez, ut ex ejus doctrina colligitur, in sententiam Navarri inclinat.

VII. Quarto notandum est tamquam certum, quod homicidium illud, quod est volitum in se ipso, vel tamquam finis, vel tamquam medium ad finem, simpliciter est dicendum homicidium voluntarium. Quod quidem inter doctores primæ, et secundæ sententiæ, et commune, et certissimum est, quamvis auctores tertiæ sententiæ id ex parte negare videantur. Dicimus tamen hoc tamquam certum esse supponendum, quia sententia illa tertia omnino improbabilis est, quantum ad id quod asserit, quod si quis repente, et subito aliquem occidat, tale homicidium non est voluntarium, sed casuale. Fundamentum autem illius tertiæ sententiæ facile dissolvitur. Nam in jure homicidium voluntarium quatenus a casuali distinguitur, non explicatur solum per hoc quod fiat ex industria, et ex proposito et animo occidendi omnino deliberato, et prædeterminato, sed explicatur etiam per hoc quod fiat ex industria, et ex proposito, et animo occidendi absolute loquendo. Quæ quidem verba juris cum omni proprietate, et rigore comprehendunt homicidium volitum in se ipso tamquam finem, vel tamquam medium quantumcumque subito et repentine contingat. Quare punctus hujus difficultatis procedit de homicidio volito in sua causa.

VIII. Dico igitur primo, secundum rigorem metaphysicum loquendo: Prima sententia est verissima. Itaque homicidium volitum, et prævisum tamquam effectus, qui regulariter sequitur ad causam directe vo-

litam censendum est homicidium voluntarium, et non casuale. Hanc conclusionem probant rationes infra ponendæ pro prima sententia, et hoc est, quod D. Thomas potissimum intendit explicare in articulo. Confirmatur, quoniam casualia in rigore metaphysico sunt præter intentionem; sed homicidium prævisum in causa volita directe, etiam si solum regulariter sequatur ad illam causam, non potest dici esse præter intentionem, cum voluntas virtualiter, et mediate in ipsum homicidium feratur; ergo secundum rigorem metaphysicum tale homicidium non est casuale, sed voluntarium.

IX. Dico secundo: probabilius est, quod secundum juris dispositionem homicidium volitum in causa directe volita tamquam effectus, qui solum regulariter sequitur ad illam, non est censendum voluntarium, sed casuale. Hanc conclusionem satis efficaciter probant rationes pro secunda sententia infra ponendæ. Quæ etiam confirmatur, quoniam homicidium voluntarium culpabile in jure est odiosum, quia secundum juris dispositionem longe difficilior est dispensatio in irregularitate homicidii voluntarii culpabilis, quam in irregularitate homicidii casualis; sed ea quæ odiosa sunt non sunt magis extendenda quam a jure extenduntur, a jure autem non extenditur homicidium voluntarium ad homicidium volitum in causa, ad quam solum regulariter, et non necessario sequitur, quoniam homicidium voluntarium a jure solum extenditur ad homicidium, quod sit ex proposito, et animo occidendi: homicidium autem volitum in causa ad quam solum regulariter sequitur non potest dici fieri ex proposito, cum solum sit voluntarium mediate, et quasi per accidens. Ergo secundum jus homicidium voluntarium



non extenditur ad præfatum homicidium; ergo secundum juris dispositionem homicidium sic volitum non est censendum homicidium voluntarium.

X. Dico tertio: Illud solum homicidium secundum juris dispositionem comprehenditur sub voluntario, quod est per se volitum, vel per se primo, vel per se secundo. Et quidem per se primo, ut illud quod est voluntarium in se ipso; et per se secundo, illud quod est voluntarium in causa directe volita tamquam effectus prævisus, et necessario subsecutus ad illam. Probatur conclusio, nam secundum juris dispositionem, illud est homicidium voluntarium quod fit ex proposito, et animo occidendi: sed non potest homicidium fieri ex proposito, et animo occidendi, nisi voluntas comparetur per se ad illud: nam si per accidens solum comparetur neutiquam dici potest, quod fiat ex proposito et animo occidendi, ergo secundum juris dispositionem homicidium ut sit voluntarium debet esse per se volitum, videlicet per se primo, aut per se secundo. Quod autem quando homicidium est prævisum tamquam effectus per se, et necessario subsecutus ad causam per se volitam, sit etiam per se volitum saltem per se secundo. Probatur, quia cum tunc voluntas comparetur per se ad causam, et causa per se comparetur ad effectum necessarium, ideo etiam voluntas per se comparatur ad illum effectum saltem mediate, et per se secundo.

XI. Dico quarto: Satis probabile est, quod secundum juris dispositionem illud homicidium est voluntarium, quod sequitur regulariter, et ut in plurimum ad causam per se volitam, quamvis non sequatur ad illam necessario ex natura rei. Hanc conclusionem probant argumenta pro prima sententia facienda.

Nam secundum juris dispositionem illud est homicidium voluntarium, quod fit ex proposito, et animo occidendi saltem per se secundo, quando voluntas per se comparatur mediate ad illud homicidium (ut ostendimus conclusione præcedenti) sed in moralibus effectus, qui sequitur ad aliquam causam regulariter, et ut in plurimum, censi debet effectus per se illius causæ; ergo qui vult directe talem causam, subinde vult per se secundo effectum subsecutum ad illam regulariter, et ut in plurimum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XII. Arguitur primo pro prima sententia ex D. Thoma in hoc articulo octavo, ubi ait homicidium casuale solum esse duplex, vel quod sequitur quando quis dat operam rei illicitæ, vel quando non adhibet sufficientem diligentiam dans operam rei licitæ; sed plura sunt homicidia præter hæc duo, quæ non fiunt ex proposito, et ex directa intentione occidendi; ergo illa censenda sunt homicidia voluntaria, et non casualia, ac per consequens secundum D. Thomam non est de ratione homicidii voluntarii, quod fiat ex proposito, et intentione directa occidendi. Minor probatur, quia quando quis vult causam, ad quam sequitur homicidium, jam non est casuale isto duplici modo assignato a D. Thoma. Plura igitur sunt homicidia non casualia sed voluntaria, quæ tamen non fiunt ex proposito, et ex directa intentione occidendi.

XIII. Secundo arguitur pro eadem prima sententia ex capite Ultimo de homicidio, in sexto, ubi censetur homicida, et irregularis quidam præcipiens puerum verberari, advertens simul, et præcipiens exe-

quenti ne excederet in verberatione, ita ut sequeretur mors, et tamen quia secuta fuit, qui præcipit iudicatur voluntarius homicida, et irregularis, non alia ratione, nisi quia mortem voluit in sua causa, non enim voluit illam ex directa intentione; ergo constat hoc non esse de ratione homicidii voluntarii. Hoc ipsum probatur ratione, quia homicidium casuale illud est, quod est per accidens voluntarium, quia ratione causa per accidens dicitur removens prohibens; sed quando quis vult effectum subsecutum ad causam per se, non vult illum effectum ex directa intentione, sed nec etiam vult illum per accidens ut removens prohibens; ergo homicidium sic voluntarium non erit casuale, et alias non est volitum ex directa intentione, cum intentio directe, et per se solum tenderit ad causam; ergo non est de ratione homicidii voluntarii quod sit ex directa intentione.

XIV. Ad hæc argumenta, quatenus militant contra secundam conclusionem respondetur. Ad primum, quod D. Thomas potissimum, quod contendit ostendere, et explicare, est quid sit homicidium casuale secundum metaphysicum rigorem, non tamen quid sit secundum juris dispositionem. Et si objicias, quod illa, quæ D. Thomas asserit esse homicidia casualia, dicit etiam esse casualia secundum juris dispositionem; ergo D. Thomas loquitur de homicidio casuali secundum juris dispositionem respondetur, quod D. Thomas tantum intendit quod illa, quæ in rigore metaphysico sunt homicidia casualia, sint etiam casualia secundum juris dispositionem, non tamen intendit, quod illa solum, quæ in rigore metaphysico sunt casualia, sint etiam casualia secundum ordinem juris: nam casuale homicidium secundum juris

dispositionem latius patet, quam casuale in rigore; comprehendit enim illud, et ad aliud se extendit. Ad secundum respondetur, quod in illo capite qui præcepit puerum illum verberari non censetur homicida voluntarius, sed homicida, et irregularis, quod verificatur de homicidio casuali, quale fuit illud. Ad tertium constat ex dictis.

XV. Tertio, principaliter arguitur pro secunda sententia ex Concilio Tridentino sessione XIV, decreto de reformatione, capite VII, ubi dicitur homicidium voluntarium esse quatenus a casuali distinguitur, quod fit per industriam, vel per insidias, et ex proposito. Ergo homicidium voluntarium quatenus a casuali distinguitur, includit quod fiat ex proposito, et directa intentione occidendi, nam alias verificari non posset quomodo homicidium fiat per industriam, et insidias, et ex proposito. Secundo, probatur secunda sententia ex dispositione utriusque juris, nam in canonico, capite primo de homicidio cujus verba desumpta sunt ex XXI Exodi explicatur, quid sit homicidium voluntarium, per hoc quod fiat per industriam, et per insidias: et in capite Sicut dignum, eodem titulo dicitur homicidium voluntarium esse quod fit animo occidendi; ergo tale homicidium voluntarium est quod fit ex proposito, et directa intentione occidendi. In jure vero civili idem determinatur, ut patet in lege prima, ff. de sicariis, ubi dicitur homicidium voluntarium esse quod fit dolo, et animo occidendi. Tertio, probatur ratione, quoniam homicidium voluntarium distinguitur a casuali per hoc quod casuale est per accidens voluntarium, non per se; homicidium vero voluntarium est quod per se est volitum, et ex proposito, et ex directa intentione, vel tamquam finis, vel tamquam medium



ordinatum ad finem; ergo homicidium voluntarium, quatenus a casuali distinguitur includit quod fiat ex directa intentione occidendi, et ex proposito. Ad omnia hæc argumenta jam constat ex dictis.

## ARTICULUS II.

*Utrum quando homicidium est per se secundo volitum in sua causa sit necessarium, quod ipsa causa quæ est per se volita fit formaliter volita in quantum causa ipsius homicidii; an vero sufficiat, quod illud quod est causa per se illius homicidii sit per se volitum, non tamen ut causa?*

I. Ratio dubitandi est, quia homicidium hoc voluntarium in causa, quod dicitur per se secundo volitum, distinguitur ab homicidio voluntario in se ipso, et per se primo volito, sed si causa esset volita per se in quantum causa homicidii, jam illud esset voluntarium in se ipso, et per se primo; ergo ut homicidium dicatur in causa, non est necessarium, quod causa sit volita in quantum causa. Minor probatur, quoniam quando voluntas fertur in aliquam causam per se, ut est causa alicujus effectus, appetit effectum tamquam finem, et causam tamquam medium; media enim sunt volita propter finem, quatenus sunt causa ad consecutionem finis. Quod autem est volitum tamquam finis, vel tamquam medium est voluntarium in se ipso, et per se primo, quod quidem potissimum de fine verificatur. Confirmatur, quia si causa appetitur in quantum causa alicujus effectus, solum appetitur propter effectum; ergo id quod potissimum ibi appetitur est effectus, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis.

II. In contrarium tamen est, quia si causa non debet esse volita in quantum causa, poterit homicidium esse volitum solum per accidens, ut contingit si quis velit illam rem, quæ est causa homicidii, non cognoscens esse causam per se homicidii, tunc enim homicidium est per accidens voluntarium, et aliquando nullo modo voluntarium, si invincibiliter ignoretur illam rem esse causam homicidii: ergo ut sit volitum per se secundo in sua causa, oportet illam esse volitam tamquam causam.

III. Pro hujus resolutione advertendum est primo, quod dupliciter potest voluntas velle per se causam homicidii in quantum causa est. Primo modo ita ut ly in quantum accipiatur reduplicative, et sit sensus, quod ratio propter quam causa est volita, est per ordinem ad homicidium tamquam ad effectum: secundo modo potest voluntas velle per se causam homicidii in quantum causa est, ita ut particula in quantum accipiatur solum specificative, et sit sensus, quod voluntas per se vult illud, quod est causa homicidii, in ordine tamen ad alium finem, et prævisa nihilominus causa ipsa homicidii, adhuc cum hac conditione vult illud, quod est causa homicidii. Secundo advertendum est, quod voluntas in illud, quod est causa homicidii quasi materialiter potest dupliciter per se ferri, sicut dupliciter potest contingere, quod illud dupliciter non præcognoscatur, sed ignoretur esse per se causam homicidii. Primo quidem ex ignorantia invincibili, et inculpabili; secundo modo ex culpabili ignorantia, quæ quantum ad præsens attinet, triplex esse potest, alia affectata, quæ est intenta, et volita; et alia nimis crassa, et supina, quæ ad ipsam affectatam reducitur; et alia taliter culpabilis, ut non sit nimis

crassa, vel supina, est tamen vincibilis.

IV. Dico primo: Quando voluntas vult illud quod est causa homicidii, in quantum causa est reduplicative modo explicato in primo notabili, homicidium est voluntarium in se ipso, et per se primo. Hæc conclusio constat ex ratione dubitandi.

V. Dico secundo: Quando quis vult per se id quod est causa homicidii, non in quantum causa est homicidii, sed accepta specificative, tunc tale homicidium dicitur voluntarium in sua causa. Probatur, quia tunc homicidium illud non est voluntarium in se ipso, quia neque tamquam medium ut constat, neque ut finis, si quidem causa formaliter homicidii non est volita in quantum medium in ordine ad homicidium, sed ut medium ordinatum ad illum finem intentum, et distinctum ab homicidio ut dicebamus in primo notabili; ergo relinquitur quod solum sit voluntarium illud homicidium in sua causa.

VI. Dico tertio: Quando voluntas per se vult illud, quod est causa homicidii, si procedat voluntas ex ignorantia invincibili, imo vincibili culpabiliter, qua homo ignorat, quod illud quod agit, sit per se causa homicidii, dum tamen ignorantia illa culpabilis non sit affectata, aut supina, aut nimis crassa, tunc tale homicidium non potest dici voluntarium in se, nec in sua causa secundum juris dispositionem. Et quidem quod in se non sit voluntarium constat manifeste, et probari potest a fortiori ex ratione facta pro præcedenti conclusione; quod autem quando ex ignorantia iuvincibili homo facit illud, quod per se est causa homicidii, non sit illud homicidium voluntarium certissime tenendum est, cum potius tunc nec culpabile sit tale homicidium, quia nullo modo est volunta-

rium. Et loquimur de homicidio secundum se illicito ex sua specie, et dicimus illud ex defectu voluntarii non imputari ad culpam in individuo. Quod vero quando ignorantia est culpabilis non dicatur homicidium voluntarium in causa secundum juris dispositionem probatur, quia tunc homicidium per accidens reducitur ad voluntatem; ergo non est voluntarium secundum jus. Consequentia patet ex dictis in præcedenti dubio, quoniam homicidium voluntarium secundum juris dispositionem quatenus a casuali distinguitur debet per se reduci ad voluntatem. Sed probatur antecedens, nam ignorantia illa, quæ nec affectata est, nec nimis crassa, nec reducitur ad illam, subinde non reducitur per se ad voluntatem, sed indirecte, ut docet D. Thomas 1-2, quæst. LXXVI, art. III: ergo totum, quod ex hac ignorantia sequitur, non potest reduci ad voluntatem per se, sed per accidens, et indirecte.

VII. Dico quarto: Quando quis per se vult illud, quod est causa homicidii, ignorans esse per se causam homicidii cum ignorantia affectata, sive supina, vel nimis crassa, tunc tale homicidium dicitur etiam voluntarium in causa. Probatur conclusio, quæ quidem de ignorantia affectata est manifesta in doctrina D. Thomæ 1-2, quæst. LXXVI, art. III, ubi expresse docet, quod ignorantia affectata est directe volita. Et ratio hujus est, quia ignorantia affectata est ea, quæ a voluntate intenditur; ergo per se habet terminare actum, voluntatis; ergo totum illud, quod ex tali ignorantia sequitur, comparatur per se ad voluntatem. Confirmatur, et explicatur amplius, quoniam in præsentiarum loquimur de ignorantia affectata, qua quis vult ignorare causam per se homicidii. Qui autem talem ignorantiam affectat, per se vult pericu-